# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE FEBRE INTERMITTENTE:



QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

ANTONIUS FOTHERGILL, ANGLUS.

Ad diem Octobris, hora locoque solitis.

*Mobilitate viget*—————————— VIRG.

---

*Phoebe, fave, novus ingreditur tua templa sacerdos.*
TIBUL.

EDINBURGI:
IN ÆDIBUS A. DONALDSON ET J. REID.
MDCCLXIII.

# CORRIGENDA.

*p.* *l.*

9. 14. *pro* geret *lege* gerit

11. *ult.* *in notis,* *lege* infection.

13. 23. *in notis,* *lege* Obs. on the diseases, &c.

VIRO AMPLISSIMO,

RALPH MILBANKE,

EQUITI AURATO,

IN CONVENTU PUBLICO MAGNAE BRI-

TANNIAE

SENATORI INTEGERRIMO;

ARTIUM SCIENTIARUMQUE LIBERALIUM

FAUTORI EXIMIO;

MORUM ELEGANTIA, BENEVOLENTIA,

LIBERALITATE,

PERQUAM INSIGNI:

NEC NON

NEC NON

PRAECEPTORI ADMODUM ERUDITO,

GULIELMO CULLEN,

Collegii Medicorum Regii Edinensis

Socio dignissimo,

Medicinae et philosophiae chemicae

in Alma Academia Edinensi

Professori celeberrimo;

Viro moribus ornatissimo,

Arteque Apollinari

nulli secundo:

PATRONIS SUIS SUMMOPERE COLENDIS,

*Hasce studiorum primitias*

D. D. D.

ANTONIUS FOTHERGILL.

# PROOEMIUM.

*SPECIMEN quoddam medicum editurus, aliquamdiu circumſpiciebam, quamnam ex tanta rerum medicarum ſylva mihi materiam, ut maxime idoneam, ita etiam* LECTORI *gratam, ſeligerem. Tandem de* FEBRIS INTERMITTENTIS natura *ejuſque* curatione *diſſerere animus tulit. Opus quidem arduum!——In univerſo quippe ſcientiae medicae ambitu, nulla forte doctrina tantis difficultatibus laborat, aut tam diverſis hypotheſibus atque opinionibus jactatur, ac illa quae de his febribus agit: adeo ut quid veri et ſolidi ſtatuendum ſit, in tanta ſcriptorum copia et varietate, vix reperire liceat. Difficultas, ut ut magna, (cum tamen de vita hominum agatur), nos deterrere non debet, quo minus occultam hujus morbi naturam inveſtigare conaremur. Sed ingenii imbecillitatis nimis conſcius ſum, quam ut vana ſpe me lactarem, me lucis aliquid in ſingula ejus recondita allaturum: nec ſane imperfecta* VIS NERVEAE *notitia mortalibus adhuc conceſſa, quid hujuſmodi*

*ſperare*

*ſperare ſinit. Hoc tamen in apricum proferet aetas.——"Multum egerunt qui ante nos fuerunt, neque perfecerunt; multum adhuc reſtat operae, multumque reſtabit; neque ulli nato poſt mille ſaecula praecidetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi." Nunc temporis ſanguinis circuitum per tot ſaecula homines latuiſſe, non mirari non poſſumus: quis vero novit, quin poſteritas nos febris naturam tamdiu ignoraſſe aeque mirabitur?*

*Cum in veritatis inveſtigatione errorem vitare omneque animi praejudicium exuere, imprimis neceſſe eſt: in aliorum exinde ſententias animadvertere (ſed ea qua par eſt diffidentia) quandoque auſus ſum.——Ea tantum ſtatui quae obſervata docere videntur; ſique erraverim, ſaltem hoc nomine veniam merebor, quod, et in his et aliis omnibus, plura vel meliora doceri me paratiſſimum profitear.*

DIS-

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE FEBRE INTERMITTENTE.

## SECT. I.

### *Historia Morbi.*

§ I. FEBRIS, quae per vices impetum suum remittit, ut plena ἀπυρεξία inter duos quosque paroxysmos intercedat, vocatur *Intermittens (a)*.

UNUSQUISQUE paroxysmus est febris succincta, seque in tria dividit stadia, quorum phaenomena, ordine quo plerumque se alternatim excipiant, recensebimus.

*Phaenomena primi stadii.*

§ II. PRIMUM stadium incipit oscitatione, pandiculatione *(b)*, sensatione circa spinam dorsi admo-

*(a)* Boerh. Aph. de cognoscend. et curand. morb. 727.

*(b)* Dormiendi necessitate quandoque inexpugnabili, praesertim vero in quotidiana.—Vid. Lommii Obs. medicinal. p. 23. Grainger de feb. anomala Batava, p. 12.

dum molesta *(a)*; pallore extremorum; lassitudine; debilitate; pulsu citato *(b)*, parvo, inordinato; dolore articulorum, dorsi, capitis; frigoris sensatione *(c)*; horrore, rigore, tremore, insensilitate *(d)*, respiratione anhelosa, anxietate, nausea, vomitu, siti maxima; urina ut plurimum tenui, pellucida.

*Secundi stadii phaenomena.*

§ III. Cum haec symptomata (II.) per aliquod tempus permanserint, mitescere incipiunt: sed en alteram morbi faciem! —— Frigus excipit calor urens, rubet cutis, et tumet; calore increscente mitescit tremor, liberior fit respiratio, imminuitur anxietas, major fit pulsus robustiorque; dolet caput vehementius, deliriumque aliquando adest; urget adhuc inquietudo, jactatio, sitis ingens; urina nunc temporis plerumque rubella.

*(a)* "Haud facile verbis describenda." Home Princ. medicin. p. 86. edit. ult.

*(b)* Pulsus in paroxysmo febrili nunquam infra nonaginta in minuto horae descendit, auctore Ill. Hallero, Elem. Physiol. vol. 2. p. 255.

*(c)* *Sensatione* dico, quoniam thermometron plerumque signat septem aut octo gradus ultra calorem naturalem, instante frigore etiam intolerabili, secundum quosdam Clariss. auctores. Vid. De Haen Rat. med. p. 121. 123. Home Princ. med. p. 86. In quibusdam tamen aegris inclyti hujus nosocomii res aliter se habuit: calor enim corporis, ingruente paroxysmo, gradus sex vel septem infra sanitatis normam descendebat, sicut ipse aliquoties observaverim.

*(d)* Illust. Baro Van Swiet. Comm. vol. 2. p. 621.

*Tertii*

*Tertii ſtadii phaenomena.*

§ IV. TERTIUM denique incipit ſtadium; miteſcit calor; laxior minuſque arida fit cutis: jamque prorumpente per totum corpus ſudore; pulſus fit mollis, plenus; reſpiratio libera; leniuntur dolores; omnia nunc remittunt ſymptomata; urina rubra ſedimentum deponit lateritium; blandus irrepit ſomnus *(a)*; et plena ſuccedit apurexia.

DURATIO ſtadiorum varia, pro diverſa febris indole, aegrique temperie ac aetate. Quo gravius invadit frigus, eo acrior plerumque inſurgit febrilis aeſtus, ſecundum Illuſt. BOERHAAVIUM, alioſque auctores clariſſimos; contra vero, poſt brevem frigoris inſultum, calorem protractiorem intenſiſſimumque, haud raro obſervavit Illuſt. SENAC *(b)*.

*De Apurexia.*

§ V. DIEBUS intercalaribus, homo qui modo aegrotabat, nunc ſanitate illibata frui videtur, atque vana ſpe lactatur ſaepiſſime, quaſi omnino a febre liber foret *(c)*. Adeſt tamen interdum pulſus tardiuſculus, debilitas, ac in ſudorem proclivitas *(d)*.

*(a)* Idem, § 750. *(b)* De recondit. feb. interm. natura, p. 23. 24. *(c)* Van Swiet. Comm. § 755.
*(d)* Hoffm. oper. om. tom. 2. p. 11.

*Diſtinctio in ſpecies.*

§ VI. Pro duratione temporis apurexiae, febres intermittentes diſtinguuntur in varias ſpecies, ſcilicet, in quotidianas, tertianas, quartanas.

Dantur quoque quintanae et ſextanae, ſed rariſſime occurrunt. Cl. Werlhof etiam teſtatur ſe quandoque vidiſſe octanas, quae per eoſdem ſingulae hebdomadis dies, quater ſingulis menſibus, veluti lunae per phaſes, acceſſerint *(a)*. Cel. Sauvages ſexaginta ſpecies, aut plures enumerat (*b*); nonnullae vero harum inter varietates forte rectius recenſeantur.

Febres intermittentes vere et autumno quam maxime prodeunt, hinc in vernales et autumnales jure diſtinguuntur. Vernales ad inflammationem, autumnales vero ad putredinem quodammodo vergere obſervantur.——An verum tota natura inter ſe diſcrepant, uti Sydenhamo viſum eſt *(c)*, vel tantum per accidens, prout Senac (*d*) et Pringle (*e*) contenderunt, adhuc ſub judice lis eſt. Febres intermittentes ſaepe varios alternatim induunt typos; nonnunquam ſub ſpecie febris continuae incedunt, paulo poſtea in remittentes migrant; nunc tertianae typum, modo quartanae

*(a)* Obſerv. de. feb. p. 269. *(b)* Pathol. method. 261.
*(c)* Oper. p. 46. *(d)* De recondita feb. p. 56. 57.
*(e)* Obſer. on the diſeaſes of the army, p. 201.—203.

aſſumunt;

aſſumunt; nunc tempus acceſſionis anticipant, modo poſtponunt. Nonne hoc SYDENHAMIANA cum opinione pugnare videtur?

*Febres larvatae.*

§ VII. VERSATISSIMI in arte viri, MORTONUS, SYDENHAMUS, HUXHAM, febres intermittentes ſub larva aliorum morborum latentes, v. g. apoplexiae, pleuritidis, cholicae, &c. detexere. Eas tamen ut plurimum ſine ullo intermittentis ſigno, excepto forte lateritio in urina ſedimento, deprehenderunt. Vis corticis Peruviani inſignis, poſt alia remedia incaſſum tentata, eorum indolem adhuc clarius manifeſtabat; atque nunc ſatis compertum habemus, haſce febres larvatas plus timoris quam periculi invehere; quoniam

*Hi motus*—*atque haec certamina tanta*
Pulveris exigui *jactu compreſſa quieſcunt.*
VIRG. Georg.

## SECT. II.

### *De cauſis remotis.*

§ VIII. CAUSAE hujus morbi generales ſunt, *frigus*, *miaſma*, *contagium*, *timor*.

*Frigus.*]

*Frigus.*] Vis frigoris in febre intermittente inducenda, in variis conditionibus varia eſt.

1*mo*, PROUT conditio corporis ei plus minuſve faveat.

2*do*, PROUT unam tantum corporis partem invadat.

3*tio*, PROUT plus minuſve humiditatis ſibi ſocium addat. De his autem ſigillatim jam dicendum.

1*mo*, QUI ſudore perfuſi aquam gelidam hauriunt, aut corpus evacuationibus largis, defatigatione nimia, jejunio, aut intemperantia enervatum, ſubito frigori exponunt, febribus intermittentibus admodum ſunt obnoxii: contra verò ii, quibus fibrae ſunt tenſae, vigorque corporis infractus, longe minus a frigore afficiuntur; frigus enim eorum corpora contra motus febriles magis magiſque praemunit. Annon hac de cauſa Lapponiae et Iſlandiae durae gentes, etiamſi penetrabile frigus patiantur, febres tamen intermittentes omnino ignorant (*a*)?

2*do*, QUI primo vere veſtes hibernas, priuſquam frigus brumale ceſſaverit, abjiciunt, aut quandam corporis partem aëri gelido per rimam aut feneſtram perflanti exponunt, febre intermittente ſaepiſſime corripiuntur: verum ſane multo citius regnante

(*a*) Roſen Medicina Lappon. apud Halleri diſp. Med. pract. vol. 6. p. 740.

Euro:—

Euro :—Eurus enim in regionibus hifce feptentrionalibus, ob iter fuum per tractum terrae longiffimum omnium, eft frigidiffimus. Hinc forte petenda eft ratio, quare Britannia Orientalis, magis quam Occidentalis, intermittentibus vexetur.

*3tio*, FLUIDA, dum in aërem exhalent, frigus femper generant, ut experimenta OPTIMI PRAECEPTORIS CULLENI evincunt *(a)*. Sed quo magis humiditate exhalante onuftus fit aër, eo frequentius incedit hic morbus. Huic fidem faciunt loca uliginofa, humillima, e. g. Cantabrigiae comitatus pars inferior, paludes Lincolnienfes, cum agris non paucis aliis nimia humiditate maceratis, in Anglia, Hibernia, Hollandia, Flandria, ubi endemice graffari confuevit *(b)*. Quidam tamen auctores *(c)* clariffimi, febres intermittentes, ficci aëris temperiei genuinam effe fobolem, afferere non dubitarunt. Hic igitur quid faciat temperiem aëris humidam, quaque ratione ejus humiditas aeftimanda fit, breviter inquirere non fortaffe alienum erit.

*Quaedam dubia de aeftimanda aëris humiditate folvuntur.*

§ IX. AEREM certam aquae copiam, haud fecus ac aquam certam falis quantitatem per *folutionem*

*(a)* Edinb. Phyfical Effays, vol. 2. art. 7.

*(b)* Jones de feb. intermit. p. 1.

*(c)* Baro Van Swieten, Cl. Wintringham, cum multis aliis, de quibus poftea.

fufpendere

ſuſpendere poſſe, experimentis conſtat (*a*). Aër itaque veluti menſtruum aquae haud inepte conſiderari queat.

Calor quidem evaporationem fluidorum, vimque aëris ſolventem auget, frigus vero contrarium edit effectum. Quapropter aërem in calida coeli temperie majorem aquae copiam tenere *ſolutam* oportet. Sole autem abſente, (ut nocturno tempore accidit), ventisve frigidis ſubito ſpirantibus, frigidior fit aër; ſed quo frigidior eſt aër, eo imminuitur vis ejus *ſolvens*, adeoque quandam aquae copiam inſtar nebulae roriſve dimittere neceſſario cogitur. Hanc ſane aquam ſub forma pluviae praecipitari non neceſſe eſt; quia ut aqua ſale ſaturata quid amplius ſalis per *diffuſionem* ſuſpendere queat, ſic omnino aër, aquam. Ex aquae igitur copia *diffuſione* ſuſpenſa, humiditas cujuſcunque tempeſtatis, potius quam ex pluvia deſcendente, (ni fallor), aeſtimari debet. Pluvia quippe in tempeſtate intenſe calida alternatim deſcendens, exhalationes aquoſas cohibet, reprimit, ut recte animadvertit Clariſſ. Pringle (*b*). Hinc denique aërem, in tempeſtate calida, vel etiam pro externa facie

(*a*) Vid. Diſſertation ſur l'elevation et la ſuſpenſion de l'eau dans l'air, par M. Le Roy. Hiſt. de l'acad. anno 1751.

(*b*) Obſervations on the diſeaſes of the army, p. 5.

ſicca

ſicca (utcunque improbabile videatur) humiditate diffuſione ſuſpenſa, poſſe abundare ſatis conſtat.

His ergo de aeſtimanda aëris humiditate rite perpenſis, contrarias Cl. auctorum ſententias inter ſe conſentire videmus: quidam enim hunc morbum in calida et ſicca (*a*), alii vero in temperie omnino humida (*b*), ſaepius graſſari contenderunt. Atque in genere, humiditatem, nequaquam vero ſiccitatem, eſſe in cauſa cur febres intermittentes in temperie coeli calidiſſima ſuas maximas agant tragoedias, ſcire licet.

In locis quidem paludoſis, vaporatio humiditatis aquoſae calori aeſtivo morem ſemper geret, ut nuperrime monuimus. Nonne igitur patet ratio, quare in Brabantia Belgica, vigor hujuſce morbi a majore puteorum vaporatione determinari poſſit (*c*)?

§ X. *Miaſma.*] Miaſmata in aëre generantur, vel e terra aſcendunt; indagandis autem exhalationum

(*a*) Wintringh. Noſolog. p. 35. 40. Van Swiet. Com. § 767. Hoffman. tit. 4. cap. 4. Biſſet Med. Conſtit. p. 270. Short hiſtory of the weather, *ann. Dom.* 1558, 1574, 1652, 1657, 1669.

(*b*) Arbuthnot on air, p. 141. Cleghorn on the diſeaſes of Minorca, p. 124. Huxham on fevers, p. 18. 25. Graing. de feb. Batava, p. 52.—59. Home Princ. medic. p. 85. Lind on the health of ſeamen, p. 71. 74. Jones de feb. interm. p. 1. 11.

(*c*) Obſervat. on the diſeaſes of the army, p. 3.

adeo invisibilium qualitatibus, longe progredi non est virium mearum. Eos tamen, qui loca paludibus vicina incolunt, unde multi vapores putridi exhalantur, febribus intermittentibus magis opportunos esse certum est. Cl. BOSTROM urbem memorat, cui incubuit febris tristissima, donec stagnum in urbe situm eductum est, et in hortum mutatum; ex quo tempore iste locus aeque fuit salubris, atque ullus alius (*a*).

ROMAE febris exacerbans partem urbis vicinam, cum a paludibus ventus illuc spiret, saepissime infestat; cum interim incolae magis dissitae incolumes evadant (*b*): hinc quidem miasmata ope ventorum haud longe transferri, patet.

OBSERVATU quoque non minus dignum, miasma suas vires non exserere, donec, aqua evaporata, materies putrida vel limosa emerserit. Huic rei confirmandae horrendum offert exemplum febris funesta Alexandriae solennis, quae, donec Nili inundatio recedat, terraque limosa appareat, non prorumpit.

§ XI. *Contagium.*] Miasma et contagium a scriptoribus saepe promiscue usurpantur; illud in aëre (ut jam dixi) generatur, aut e terra ascendit: hoc in corpore ortum, et ab uno homine propagatur in alium.

(*a*) Amoenit. Acad. vol. 5. p. 26.
(*b*) Lancisi Epid. 1. lib. 2. cap. 7.

DUM

Dum haec febris in aeſtate fervida ſaevius debacchatur, nonnunquam fit ſumme contagioſa, totaſque hominum turbas e medio eripit: quantaſque inducit ſtrages, cum inter homines noſocomiis carceribuſve confertim ſqualore vitam trahentes erumpat, eheu! frequentius eſt, quam ut exemplis confirmandum ſit.

Febrem autem contagioſam (Anglice *the jail-fever*), intermittentis eſſe proſapiae, ex ſcriptis clariſſ. virorum colligere licet (*a*).

§ XII. *Timor.*] Regnanti peſte, pavidi, ſocordes, et meticuloſi certo fere certius corripiuntur. In urbibus autem obſeſſis, incolae ab aggreſſione hoſtium inopinata perterrefacti, ſaepe ſubito febricitant. Inſuper, quam cito hae febres, cum poſt longum quieverint, a ſubito timore in actum iterum deducuntur, nemini fere non notum eſt.

*Praediſpoſitis tantum nocent.*

§ XIII. Hic autem obſervandum, haſce cauſas (VIII.—XII.) eo tantum valere quo corpori occurrant praediſpoſito. Pro certo quippe novimus, quoſdam homines uni earum alicui quotidie obnoxios eſſe, febrem tamen intermittentem omnino evadere. Quapropter veriſimile eſt, neque frigus, neque miaſma, neque imo etiam contagium, fe-

(*a*) Vid. Pringle's Obſervations on the diſeaſes of the army; Lind on fevers and infections.

brem intermittentem, proprio Marte excitare posse. Sin autem systema nervosum ab exquisitiore sensu corporis (*a*), vel ex debilitate, vel ex constitutione anni epidemica (*b*), vel ex alio quocunque modo, fiat nimis mobile, vel si fibrae motrices in spasmos fiant procliviores (*c*); tunc quidem corpus ita praedispositum ignem veluti concipit, levique occasione accenditur febris.

QUINETIAM operae pretium est observare, quam diverse diversi homines, quoad temperamentum, et idiosyncrasiam, hisce causis afficiuntur; quomodo nempe in hoc per timorem, in altero per frigus, in tertio per contagium, hic morbus citius excitatur.

## SECT. III.

### *De causa proxima.*

#### *Auctorum sententiae.*

§ XIV. HISTORIA morbi adumbrata, nunc de causa ejus proxima dicendum. Omnia de hac re auctorum placita ad trutinam revocare, non est hujus loci: ea tamen explorare, quae seriam animadversionem merentur, omnino necessarium erit.

(*a*) Hoffman. oper. omnia, tom. 2. p. 11. § 5.
(*b*) Idem, p. 12. § 6. Sydenh. oper. p. 51.
(*c*) Hoffman. loco citato.

§ XV.

§ XV. Imprimis, humorum *putredinem*, ob retentam materiem perspirabilem, vel etiam ob exhalationes putridas in sanguinem receptas, causam esse hujus febris proximam contenditur.

Viri Clarissimi *(a)*, qui hanc sententiam ornarunt, varia protulerunt argumenta, quorum gravissima (ni fallor) summatim haec sunt.

1*mo*, Quo magis vigent putredinis causae (calor scilicet et humiditas), eo frequentius grassantur febres intermittentes.

2*do*, Fomes aliquis putridus in sanguinem absorptus, febrem, tum rigore tum calore stipatam, illico accendit.

3*tio*, Humores putridos remediis idoneis eliminando, aut vi corticis antiseptica corrigendo, felicissime sanatur hicce morbus.

*Num admittenda haec sententia?*

§ XVI. Sanguinem aliosque humores in quibusdam intermittentibus ad *putredinem* interdum vergere, nullus dubito: sed ob hanc causam putredinem ex essentia morbi esse necessariam concludere certe minus cautum foret; multa enim, (ut opinor),

*(a)* Sed ante omnes Doctiss. Pringle. Vid. Diseases of the army, edit. ult. p. 180.—189.

Hanc febrem putrida esse indole, contenderunt Cl. Grainger (de feb. Batav. p. 52.), nec non Ingeniosus juvenis Fleury, Dissert. inaugural. p. 34. 35.

eademque

eademque haud levia, hanc ire in ſententiam prorſus vetant.

1*mo*, HOMO, cujus ſanguis vel ab omni putredinis ſuſpicione immunis, ſubito tamen timore perculſus, aut corpore ſudore perfuſo, aëri frigido expoſitus, febre intermittente ſaepiſſime corripitur.

2*do*, HOMO ſcorbuto laborans, cujus tota ſanguinis maſſa putredine contaminatur, paroxyſmos tamen febriles omnino neſcit; auctore graviſſimo LIND (*a*).

3*tio*, QUIBUS perſpiratio Sanctoriana maxima ex parte ſupprimitur, ii hac tamen de cauſa in febres intermittentes vix fiunt procliviores (*b*).

4*to*, IN Formoſae inſula tum calor tumque humiditas (putredinis cauſae) non mediocriter valent; nemo tamen mortalium eo loci febrem intermittentem unquam vidit (*c*).

5*to*, FEBRES intermittentes, modo pauxilla admodum quantitate cort. Peruv. curantur, modo uno fere ictu electrico fugantur (*d*); quis vero ſanguinis putredinem tam cito emendari affirmare auderet?

6*to*, NON ſolum cortice Peruv. et remediis anti-

(*a*) On fevers and infection, cap. 1. p. 4. On the ſcurvy, paſſim.

(*b*) Cl. Baro Van Swiet. comm. § 586.

(*c*) Vid. Ramazini on the diſeaſes of tradeſmen, p. 26.

(*d*) Philoſ. Tranſ. abridg. vol. 1. paginam non memini.

ſepticis

fepticis curatur hic morbus, fed etiam teftaceis (*a*), quae vi omnino feptica pollere exiftimantur (*b*).

*Altera fententia.*

§ XVII. ALII quidem viri *bilem* inquinatam, aut *fomitem* nefcio *quem* hepate delitefcentem (*c*), vel circa duodenum (*d*) aut ventriculum hofpitantem, accufarunt.——Propterea quoad,

1*mo*, TANTA bilis copia primis ineft viis, ut ad vomitaria purgantiaque confugere faepius opus fit.

2*do*, URINA flavo aut lateritio colore imbuitur, non fecus ac in morbis hepatis.

3*tio*, PARTEM in hoc morbo maxime affectam effe hepar, infpectio cadaverum docet.

4*to*, BILIS omnium corporis humani fluidorum putredini eft maxime proclivis; praeterea, in hoc morbo bilis, inquit Cl. SENAC, faepiffime per os, quafi "oleofum et lentum magma, ejicitur."

*Cur non firma.*

§ XVIII. HUIC opinioni obftant res quam plurimae.

1*mo*, TAMETSI purgantibus vel emeticis quicquid in ventriculo vel inteftinis haeret, vel ex vifceribus

(*a*) Senac de recondit. &c. p. 13.

(*b*) Obfervations on the difeafes of the army, append. p. 347.

(*c*) Senac de recondita feb. p. 12. 14. 15.

(*d*) Huic ftrenue propugnat laudatus Fleury, Difp. inaug. p. 24. 30.

ribus vicinis in illa defertur, ejiciatur; non tamen ideo curatur morbus, sed contra saepe tali methodo tractatus pertinacior adhuc redditur, et altiores radices figit; uti magnus ille SYDENHAMUS *(a)*, aliique auctores gravissimi observarunt *(b)*.

2*do*, A COLORE flavo urinae haud certe constat sedem hujus morbi esse hepar; talis namque urina in aliis morbis non raro invenitur, et quibusdam revera intermittentibus omnino deest *(c)*.

3*tio*, FEBRE ope corticis Peruv. sine ulla evacuatione sensili profligato, tum color urinae, tumque vomitus biliosi subito evanescunt.

4*to*, PHAENOMENA hepatis morbosa, aliis quibuslibet morbis sunt communia, quibus fiunt sanguinis congestiones ad viscera. Insuper non tantum hepar, sed reliqua etiam viscera, cum abdominalia, tum thoracica, aeque poenas luunt; uti testantur viri in hujuscemodi sectionibus versatissimi *(d)*.

5*to*, ICTERICI autem, quibus copia humorum bile vitiata plurimum inquinatur, febribus tamen intermittentibus non sunt prae aliis opportuni *(e)*.

6*to*, Ex fomite tantum bilioso paroxysmos in omni aetate ac temperie, temporibus adeo exacte definitis, resurgere, quis credat?

*(a)* Sydenh. oper. p. 98. *(b)* Hoffm. tom. vi. p. 24. Baglivi Prax. med. p. 234. *(c)* Hillary on the diseases of Barbad. et Clegh. on the diseases of Minorca, p. 215. *(d)* Lieutaud Precis de la medecine, p. 53. Harvey Exercit. anatom. cap. 16. *(e)* Hoffm. oper. tom. 6. p. 24.

7*mo*,

*7mo*, Durante apyrexia, aeger ſaepe ſaniſſimus ſibi videtur: quo tunc temporis abit fomes iſte verſatilis? "Cauſa proxima poſita, ſequitur morbus; ſublata, tollitur (*a*)."

*8vo*, Intermittentes interdum per medium ptyalyſmum ſuum exacte ſervant typum (*b*): quomodo vero, durante tali humorum fluxu, fomes aliquis colligi queat, intelligere vix poſſum.

*His ſublatis aliae ſponte ruunt.*

§ XIX. Ab argumentis (XVI. XVIII.) itaque conſtat, cauſam hujus morbi veram, neque ab ullo ſanguinis vitio (XV.), neque bilis inquinamento (XVII.) pendere. Sed haecce argumenta etiam quibuſlibet aliis humorum vitiis aeque accommodari poſſunt. Adeoque aliae Cl. virorum hypotheſes, Galeni (*c*) ſcilicet, Silvii (*d*), Willisii (*e*), Jonesii (*f*), Robinsonii (*g*), ingentiſque Boerhaavii (*h*), ſponte ruunt.

*Quid*

(*a*) Boerhaav. Aph. § 740.

(*b*) Baro Van Swiet. Comm. vol. 2. p. 537. § 757.

(*c*) Bilem, pituitam, atram bilem, originem dare diverſis intermittentium ſpeciebus, ſomniavit Galenus. Vid. Chart. tom. x. p. 351. 411.

(*d*) Fermentatio ſucci pancreatici cum bile. Sylv. Op. lib. 1. p. 227. (*e*) Fermentatio ſanguinis cum chylo. Oper. omnia.

(*f*) Aciditas ſanguinis. Vid. libellum de feb. intermittente.

(*g*) Tenacitas nimia ſanguinis. Anim. oeconom. p. 444. 482.

(*h*) Viſcoſitas ſanguinis. Aph. 755.—Ultima vero editione



interſeritur,

*Quid docet observatio de causa proxima.*

§ XX. Unicuique phaenomena primi stadii (II.) attento animo perpendenti, quam manifeste apparebit, vasa sanguifera capillaria universali spasmo constringi.

Quid aliter autem denotet horripilatio? frigoris sensatio? pulsus durus? extremorum pallor? cutis corrugatio? insensilitas? urina pellucida? secretionesque interceptae (*a*)? Constrictio sane spasmodica, vel ab immersione in aquam frigidam, vel ab admota corpori nive, inducta, paroxysmum exhibet artificialem, iisdem fere symptomatibus stipatum (*b*). Insuper verisimile est, non tantum frigus, sed etiam alias hujus morbi causas, suas agere turbas, magna saltem ex parte spasmum inducendo.

Miasmate enim, et contagio, vitali principio obrepentibus horripilatio statim oritur. Terrore perculso homine, totam ejus corporis superficiem

interferitur, "forte et nervosi tam cerebri quam cerebelli *inertia*." Sed quid sonat vox ista ambigua? Quis vero mortalium *indolem aut qualitates* liquidi nervosi unquam adhuc detegere potuit?

(*a*) Ptyalysmum, durante febrili frigore, prorsus cessare; manante vero sudore, iterum redire, vidit Cl. Grainger, de feb. Batav. p. 41.

(*b*) Ita, si manu quis torpedinem tangat piscem; illico frigore, horrore, tremore corripitur. Kaempfer Am. exot. fasc. 3. obs. 2.

occupat

occupat ſpaſmus, pallet cutis, diſparent vaſa; horret, riget.

NOLLEM tamen ita intelligi, quaſi febrem intermittentem a ſpaſmo tantum pendere dicerem (*a*). Perſuaſum enim habeo, quod, ad conſtituendum hunc morbum omnibus numeris abſolutum, quid amplius requiri praeter ſpaſmum. Quandam adeſſe generis nervoſi affectionem, dubitandi non eſt locus; ſed qualis ea ſit, determinare, eſt certe difficillimum.——An mobilitas nimia?—Huic conjecturae non repugnat temperies eorum, qui huic morbo prae ceteris ſunt obnoxii; neque cauſarum quidem remotarum contemplatio; neque etiam curandi methodus. Vi nervea nimis mobili exiſtente, fieri non poſſit quin functiones fuerint turbatae: turbatas eſſe functiones, docet pandiculatio, laſſitudo, debilitas, tremor. Neque hic ſilentio praetereundum quaedam alia febris hujuſce Proteiformis phaenomena: interdum enim ſub forma hemicraniae (*b*) ludit, nunc amauroſin (*c*), nunc loquacitatem (*d*), modo acumen ingenii auctum mentitur (*e*). Nonne haec omnia mobilitatem nimiam amplius demonſtrant?——Huic porro accedit,

(*a*) Hunc in errorem incidiſſe videtur magnus ille Hoffmannus. Vid. Opera paſſim. (*b*) Storck Bienn. medic. p. 54.

(*c*) Loco citato. (*d*) De recondita feb. p. 25.

(*e*) Van Swiet. Comm. vol. 2. p. 7. § 560. Concuſſionem corporis irregularem abſque frigoris ſenſu, vidit PRAECEPTOR Illuſtriſſimus MONRO, Med. Eſſ. vol. 2. art. 19.

quod, a quolibet mobilitatem inducente, febris intermittens exacerbatur; contra vero, a quocunque eam corrigente, optime sanatur.

Ex dictis ergo nonne apparet ratio, cur juvenes huic morbo procliviores sint quam senes? cholerici et sanguinei, quam phlegmatici vel melancholici (*a*)? cur, post evacuationes nimias, jejunium, vel defatigationem, homines tam cito intermittentibus corripiantur? cur infantes delicatuli, urgente hac febre, convulsionibus saepissime crucientur (*b*)?

Cur autem e contrario attentio animi profunda venienti paroxysmo interdum occurrat (*c*)? cur Lappones aliaeque gentes sub Jove intense frigido degentes, omnino sint immunes (*d*)? cur quaedam adstringentia, in febribus hisce cohibendis, motibusque tremulis sedandis, tam efficacia? cur denique Cortex ille Peruv. tam pulchre prosit? cur quaeso? nisi quod mobilitatem corrigendo, fibrasque motrices roborando, prae caeteris valeat (*e*)?

His

(*a*) Hoffm. tom. vi. p. 5.

(*b*) Baro Van Swiet. Comm. vol. 2. p. 527. § 755.

(*c*) Loco citato.

(*d*) Ramazini on the diseases of tradesmen, p. 14. 15.

(*e*) Doctissim. De Haen (Ratio medendi, p. 197.) omnibus hypothesibus de corticis operatione, in curanda febre intermittente, acervatim rejectis, exclamat,—" Tota res aenigma est, aenigma manet, quaestio inanis; responsum impossibile."——

Nodum

His itaque omnibus (XX.) rite perpenſis, mihi omnino veriſimile videtur, MOBILITATEM * QUANDAM cum SPASMODICA ad capillaria CONSTRICTIONE, cauſam febris intermittentis quam proximam abſolvere.

*De ratione ſymptomatum.*

§ XXI. INGRUENTE paroxyſmo vi nervorum interrupta, neceſſario imminuitur cordis actio; ideoque totam corporis ſuperficiem occupare incipit ſpaſmus. Naſcente ſpaſmo, parum turbatur humorum diſtributio; ſed paulo poſtea, cum per totum corpus arcte admodum conſtringantur vaſa, fieri non poſſit, quin graves inde ſequantur perturbationes. At ſpaſmi erit imprimis, ſanguinem verſus corporis penetralia repellere, adeoque ad cor, atque pulmones: hinc anxietas, et reſpiratio difficillima. Aliquando enim per aliquot momenta, omni motu cordis abolito, vera ſyncope intercurrat: Si-

Nodum ſane in ſcirpo quaeſiſſe mihi videtur egregius ille vir: namque ſi quid firmi ſit in conjectura ſupra propoſita, ſolvitur nodus, et evaneſcit aenigma.

* Si forte quaeratur *modus* quo *mobilitas* illa exiſtit; vel qua *ratione* ſpaſmo, qui paroxyſmum febrilem efficit, anſam praebet; vel qualis eſt denique *mutatio* illa, quae in Senſorio tunc temporis contingit? fateor me haec omnia penitus ignorare: quantumque videre mihi datur, nemo de his poteſt vel minimam facere conjecturam, cum nervorum *fabrica* eorumque *actio* nos adhuc omnino latent. Sed non magni refert *modum* ſcire quo nervi ſua munia exequuntur; *munia* ipſa callere ſat eſt.

mul

mul apparet, quanto in periculo tunc verſentur aegri, et quare in frigore febrili aliquando extinguantur (*a*). Ex copia ſanguinis magis magiſque ad cor accumulata, nec non a ſpaſmo nunc impenſius fibres ejus motrices afficiente, neceſſe eſt cor fieri magis irritabile: ſed quo magis irritabile eſt cor, eo ſanguinis ſtimuli fit impatientius, eoque crebrius pariterque debilius (etiam priuſquam repleantur ventriculi) neceſſario ſe contrahit (*b*): hinc pulſus frequens, parvus. Dum haec agantur, vi motrice pene extincta, oritur ſenſatio moleſtiſſima, variique motus inſtinctivi (*c*) excitantur; ex quibus tandem reſurgit cor, ſanguinemque cum impetu ad corporis ambitum propellit: hinc rubedo cutis,

(*a*) Van Swieten Comment. vol. 2. p. 21. 513. § 576.

(*b*) Ut egregie monet PRAECEPTOR ERUDITISSIMUS WHYTT. Eſſay on vital and involuntary motion, p. 264. 312.

(*c*) Motus febriles voco *inſtinctivos*, propterea quod non ab ullo animi *cogitantis* imperio, ſed a vi quadam fibris motricibus inſita, aut potius a nervis impertita, excitantur. Etenim res perquam notiſſima eſt, animum nihil plane operari poſſe in corporis partes, etiam per intenſiſſimam voluntatem, vitiata vi nervea, quae ſenſui et motui inſervit. In hoc tantum ſenſu dicere licet, "febrem eſſe affectionem *vitae conantis* mortem avertere." (Boerh. Aph. 573.) Cautum ſit (inquit Cl. Battie) ne quis entis cujuſlibet imaginarii aut animae corporeae, tanquam *θεοῦ ἀπὸ μηχανῆς*, manus praeſentes videre videatur. Princip. anim. p. 288. Haud multum ſane intereſt, quo nomine utimur ad exprimendam vim *inſtinctivam*; an archaeo, natura, vita, vel *τῷ ἐνορμῶντι*; ſi ſemper hoc proprio illo ſenſu utamur.

pulſuſque

pulſuſque validus: ſed ſanguinis libero curſui obicem ponit ſpaſmus.——Ab aucto ſanguinis momento, contra vaſa ſpaſmo adhuc detenta, calorem (*a*) ingentem accendi, dolorem capitis intendi, delirium jactationemque oriri, non eſt mirum. Quum denique ſpaſmus vi cordis et vaſorum penitus ſuperetur, ſudor copioſe prorumpit, omniaque ſymptomata evaneſcunt. Nunc tubuli uriniferi denuo relaxati, particulas urinae craſſiores admittunt; hinc ſedimentum ejus copioſum.

*Effectus febriles ſpaſmi diuturniores.*

§ XXII. Unicuique conſideranti ſanguinis introrſum ad viſcera congeſtiones, a febrili ſpaſmo ſaepius iteratas, vaſa tandem debiliora fieri, craſin ſanguinis mutari, liquoreſque ſecretos depravari, non mirum videbitur. Hinc tumores viſcerum ſcirrhoſi, hydrops, leucophlegmatia, icterus, aliaque pertinaciſſima mala, intermittentes diuturniores preſſo pede ſaepe ſequuntur.

§ XXIII. Ex dictis itaque patet, quantum in febribus intermittentibus valeat ſpaſmus.——Objicere vero quis poſſit quaſdam eſſe intermittentes quibus nullum adſit frigus, adeoque nullus ſpaſmus. Cui reſpondetur, quod etiamſi febres dentur inter-

(*a*) An ab attritu ſolo, inquirere non eſt hujus loci, neque magni quidem refert.

mittentes,

mittentes, quae nullam frigoris habent ſenſationem, has tamen nullum habere ſpaſmum, minime ſequitur. Spaſmus enimvero, ex pulſu duro, urina tenui, ſecretiſque liquoribus impeditis, abſque aliis ſignis, clariſſime elucefcit. Satis praeterea conſtat, ſpaſmum abſque vel ulla frigoris ſenſatione poſſe praevalere; cum eum videmus per totum caloris ſtadium plerumque ſupereſſe, et vix ac ne vix quidem ex toto auferri, donec erumpat ſudor.

*De ratione periodorum.——Difficultates quaedam.*

§ XXIV. INTER tot varias, diverſaſque hypotheſes, quas clari viri de periodorum ratione adhuc propoſuerunt, nulla forte veriſimilior eſt ea, quae ex viciſſitudinibus corporis humani periodicis, prout a conſuetudine ſtabilitis, eam enucleare annititur. ——Sed quomodo quis mortalium, vel ab hac, vel ab alia quacunque theoria adhuc excogitata, ex facili reſpondere poſſit ad haſce quaeſtiones, non video:

1*mo*, CUR paroxyſmus poſt aliquot dies plane ſopitus, tamen abſque ulla cauſa evidenti, abſque ulla mutatione, aut ſenſubus, aut ratione obſervanda, ad punctum etiam horae, iterum in actum deducatur?

2*do*, CUR apyrexia quandoque illibata ſerenitate

ab

ab omni perturbatione habeatur, quandoque vero non?

3*tio*, Cur tertiana omnium frequentiſſima; quartana vero omnium pertinaciſſima?

4*to*, Cur quartana, cum aliquem (cujuſcunque fuerit aetatis vel temperiei) ſemel cruciarit, alia vice non multum eundem fatigabit, ſed brevi ſponte ſolvetur (*a*)?

Non ſine ratione ſane dudum exclamavit Doctiſſ. Werlhof;—"Typorum et periodorum febrilium miracula, vidit omnis aetas et obſtupuit; videbit omnis poſteritas; poſteritas forſan omnis obſtupeſcet (*b*)."

Talia itaque hujus morbi recondita iis reſigno, quos juvat

*—Aërias tentaſſe domos, animoque rotundum*
*Percurriſſe polum.* ——— Hor. lib. 1. Ode 28.

Si autem ſagax ille Sydenhamus, Illuſtriſſ. Baro Van Swieten, aliique praeſtantiſſimi in arte viri, ſuam de periodorum ratione ignorantiam agnoſcere, non erubuerunt; me, in eo quod ab omni hypotheſi omnino me abſtinui, excuſatum haberi ſpero.

(*a*) Sydenh. oper. p. 85. (*b*) Obſerv. de feb. p. 288.

## SECT. IV.

### *Ratio medendi.*

§ XXV. CURATIO hujus morbi duplex eſt, naturalis ſcilicet et artificialis. Illa naturae viam qua ſe liberare ſolet, ſolicite tentat; haec vero ad paroxyſmum praecavendum operam dat.

*De methodo naturali.*

§ XXVI. NATURA *(a)*, vim cordis incitando, ſudoremque blandum provocando, ſpaſmi febrilis ſolutionem molitur. Medicamenta huic ſcopo optime inſervientia, ſunt DILUENTIA, DIAPHORETICA, ANTISPASMODICA. Inter haec ea ſunt praecipue eligenda, quae conſtricta cutis ſpiracula relaxant, mitemque eliciunt ſudorem: qualia ſunt hauſtus ſalini in ſtatu efferveſcentiae inſtanti frigore propinati *(b)*, liquores aquoſi blandi, pediluvium, ſemicupium *(c)*, aliaque id genus. Vis naturae medicatrix ad hunc modum adjuta, quandoque, ſine ullo alio quocunque remedio, febres in-

*(a)* Quo ſenſu intelligenda ſit vox *natura*, jam dixi, p. 22. not.
*(b)* Teſtante viro expertiſſimo Lind. De feb. et infect. p. 9.
*(c)* Gilchriſt on the uſe of voyages, p. 141. 142.

termittentes

termittentes cito, tuto, et jucunde ſanat. Prudentis interim medici eſt, omnia, quae conſilio adeo ſalutari obſtent, longe amovere. Si itaque adſit inflammatio, vel ſi morbus ad febris continuae naturam vergere incipiat, ſanguinis miſſio eſt tempeſtive inſtituenda. Si, a ſordibus autem bilioſis circa ventriculum aut inteſtina hoſpitantibus, (prout ſaepius in autumnalibus contingit), ingraveſcat morbus: tunc quidem emetica et lenia purgantia, haud ſine fructu, in uſum revocari queant. —— Emetica, tum bilioſam colluviem eliminando, tumque fibras motrices roborando, admodum ſunt utilia; ſed multo etiam magis, quatenus cutim verſus determinando, ſpaſmum relaxant; quî enim aliter fit, quod ipecacuanha, parva admodum doſi aliquamdiu adhibita, haſce febres, abſque ulla vomitione, prorſus fugat *(a)*? —— Purgantia vero ſiquidem horripilationibus et ſpaſmis corpus diſponunt, hauſtum quendam anodynum poſt eorum operationem propinare, omnino neceſſe eſt: expertiſſimus enim SYDENHAMUS, poſt morbum fugatum, a leviſſima catharſi, imo etiam ab enemate molliſſimo ex lacte ſaccharato, recidivae periculum imminere obſervavit *(b)*. Superveniente delirio, ſtupore, vel comate, veſicatoria, vel cucurbitulae

*(a)* Halleri Diſput. med. pract. vol. 5. p. 93.
*(b)* Epiſt. reſp. 1. p. 36.

cum ſcarificatione, ſummo cum levamine adhiberi poſſint.

Per totum morbi decurſum, cauſae omnes remotae (VIII.) prorſus amovendae, reſque *dictae* non-naturales ſtudioſe obſervandae; aliter ſane laterem lavamus.

*De ſudore cautela.*

Sed ante omnia — ſub finem paroxyſmi, *ſudor*, ſi admodum copioſus ſit, panno bibulo laneo (corpore interim ab aëre frigido praemunito) probe *abſtergi* debet: deinde aegro *mundum induſium* quam cito ſuppeditare oportet. —— Magni quidem intereſt, (ni fallor), ad haſce cautelas ſolicite attendere, tametſi de illis inter authores practicos altum ſit ſilentium; forte propterea quod mala, quae maneant aegrum *ſudore profuſo* diu maceratum, non rite perpenderint.

Sudor largus in corporis ſuperficie nimis diu durans, ſolida ſimplicia relaxat, materiem perſpirabilem impedit, mobilitatem febrilem auget, vireſque corporis enervat, peſſundat. —— His denique adde, quod ſudor *exhalans*, aeque quidem ac alia fluida vaporantia, frigus generat; quantumque autem valeat frigus humidum, corpori nunc nimium ſenſili applicatum, jam (VIII.XI.) monuimus. Annon hinc apparet ratio, quî fit, quod quaedam intermittentes, *ſudoribus nimiis* ſtipatae, vim etiam

Cort.

Cort. Peruv. eludunt, ac in febres ardentes, vel malignas, infaufto cum omine degenerant? Nonne haecce infortunia, auxiliis fupra propofitis, magna ex parte praecaveri poterint?

*De methodo artificiali.*

§ XXVII. METHODUS artificialis, praecavendo paroxyfmum, totam abfolvit curam.

QUUM frigus febrile omnium fere fymptomatum fundamentum ponit; fi ei occurrere venienti quocunque modo poffimus, etiam totum illum paroxyfmum facile valemus praeoccupare.——Hic gravis oritur quaeftio inter medicos, num incipiente febre, ftatim ejus curam (*a*) artificiali methodo moliri tutum fit? an vero ea febris, per certum temporis fpatium, fit fibi permittenda (*b*)?

INTERDUM, ope intermittentis, paralyfis (*c*), epilepfia (*d*), convulfiones (*e*), aliique morbi pertinaciffimi folvuntur. Intermittentem itaque hifce morbis fupervenientem illico opprimere, omnino

(*a*) Prout Riverio, Bohnio, Senaco placuit.

(*b*) Ut Harvaeo, Sydenhamo, Baglivio vifum eft.

(*c*) Hoffm. oper. tom. 6.

(*d*) Hippoc. Epid. lib. 5. tom. 6.

(*e*) Οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται· ἢν δὲ ἁλίσκονται πρότερον, εἶτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται. Hippoc. fect. 5. aphor. 70.

inconfultum

inconſultum foret. At ſi in hominem non male ſe habentem incidat, numne melius eſſet ſi nequaquam in eum incidiſſet? numque perinde ſatius aegrum ea liberari, quam ſpaſmis partes univerſas arcte conſtringentibus excruciari? Hic morbus autem in initio facillime ſanatur *(a)*; aegrius vero, cum diu duraverit: utcunque mitis ergo, utcunque levis tandem fuerit in initiis; ei tamen minime credendum;

*Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.*

VIRG.

Suadent ergo omnia, ut quamprimum fieri poterit cohibeantur febres intermittentes in ſanos homines incidentes. Sed haec obiter.——

OBVIAM itur paroxyſmo venienti, vel,

1*mo*, Sudorem, aliquot horis ante revertendi tempus, excitando; — vel,

2*do*, Mobilitatem febrilem corrigendo.

*Sudorem promoventia.*

HUIC ſcopo, decoctum ſarſaparillae, aut bardanae, ad quinque vel ſex lib. die intercalari, optimo cum emolumento adhibuit Illuſt. SENAC *(b)*. "Sub expectatione" (ait CELSUS) "proximae acceſſionis, aeger deducendus in balneum eſt, dandaque opera

*(a)* Senac de recond. febr. 141.

*(b)* Vel aquam etiam calidam affatim hauſtam. De recond. feb. p. 177.

eſt,

eſt, ut per tempus horroris in ſolio ſit *(a)*." In Courlandia mos invaluit, ut aegrum in nive ad mentum uſque tectum aliquamdiu ſervent, exinde in ſudatorium deducunt, quo ſudorem alliciant copioſum: atque hac methodo ter quaterve repetita, curam plerumque abſolvunt *(b)*. Alii quidem, olea eſſentialia, vel aromatica calidiora, pari cum ſucceſſu uſurparunt. Semper vero notandum, remedia ſudorifera (praeſertim quae acri ſtimulo pollent) ſumma cum circumſpectione adhibenda eſſe: namque ſi, eorum vi, ſudor invita natura extorqueatur, febris altiores aget radices, atque omnia deinceps in pejus ruent.——*Modus* itaque *utendi* ex veneno facit medicamentum, ex medicamento venenum.

*Mobilitatem corrigentia.*

HAEC ſunt praecipue narcotica, et adſtringentia.

*Narcotica.*] Opium inter narcotica, tum nervorum mobilitatem corrigendo, tumque febrilem ſpaſmum conſopiendo, primum ſibi locum vendicat. Huic fidem facit Cl. BERYAT *(c)*. Hauſtus anodynus hora dimidia ante acceſſionem adhibitus, hunc morbum inſtar incantamenti ſaepius tollit, Auctore graviſſ. STORCK *(d)*. At ſincerus ille vir,

*(a)* De medicina, p. 142.
*(b)* Miſcel. curioſ. dec. 11. ann. 6. p. 570.
*(c)* Mem. de mathemat. et de phyſiq. tom. 2. p. 24.
*(d)* Ann. med. ſecundus, p. 110.

in

in quibusdam aegris hoc remedium spem ejus omnino lusisse, ingenue profitetur (*a*). Idem auctor laudatissimus febres intermittentes, cortici etiam Peruviano cedere nescientes, *aconito* se quandoque debellasse testatur (*b*).

*Adstringentia.*] Adstringentia varia, tum vegetabilia tum mineralia, in fugando hoc morbo non sine ratione laudantur; sed his omnibus palmam facile praeripit Cortex ille Peruv. de quo postea dicetur. Alia quidem antidota ex quibusdam auctoribus decantata, brevitatis studio praetermittimus. Pars autem maxima eorum, exceptis forte quibusdam venenis, sub una vel altera harum classium (*narcoticorum* puta vel *adstringentium*) militari possit. Cl. Jacobi (*c*), atque quidam alii homines audacissimi, arsenicum etiam ipsum pro specifico venditare haud verentur: sed remedia hujusmodi horrenda, dum curant, plerumque nocent; ab omnibus itaque medicis cordatioribus merito rejiciuntur.

(*a*) Annus med. primus, p. 55. "Nonnunquam enim debiles, vel stupidi, post ejus usum manserunt aegri."

(*b*) In libello de stramonio, hyoscyamo, et aconito, nuper edito, p. 33. 47.

(*c*) Acta academ. Erford. tom. 1. p. 216.

## *De usu Corticis quaedam.*

§ XXVIII. QUIDAM auctores Corticem in intermittentibus vehementer laudarunt, alii eum prorſus damnarunt, et omnes ſubinde ad experientiam provocarunt. Si ex eorum itaque argumentis inter ſe accurate penſitatis, vel propria etiam experientia confirmatis, CANONES quoſdam generales in medium proferre liceret, L. B. haud moleſtum fore ſperamus.

I. CONSTAT, Corticem rite adhibitum remedium eſſe non ſolum innocuum (*a*), ſed etiam omnium in tota rerum natura adhuc cognitarum, in fugando hoc morbo, in omni aetate, ſexu, ac temperie, efficaciſſimum.

II. ICTERUM, hydropem, haemoptoen, glandularum obſtructiones, aliaque id genus mala Cortici ſaepius imputata, ex laxa viſcerum et vaſorum textura, ingentique liquidorum copia, vi febrilis ſpaſmi huc adductorum, oriri; ex dictis (XXI. XXII.) ſponte patebit. Inſuper a tempeſtivo hujus reme-

(*a*) Quidam vir (teſtante De Haen, Rat. med. pars 7. p. 248.) intra ſeptem fere menſes interne ſumpſit Corticis plus libris *quadraginta*; enormem ſane quantitatem! abſque tamen ullo effectu inſigni, praeter quod gangraenam peſſimam ſanavit.

dii usu omnino praecaveri potuerint haecce infortunia, nisi quod praepostera invaluisset opinio, febres intermittentes Cortice haud tuto sanari posse, donec per aliquid tempus durassent.

III. Cortex tumores pedum oedematosos, leucophlegmatiam, viscerumque obstructiones, (si altas non egerint radices), una cum febre, non raro penitus fugat. Et non mirum sane, cum a Viro in arte versatissimo edocti sumus, tumores strumosos adhuc multo pertinaciores ab eodem remedio etiam resolvi posse (*a*).

IV. Cortex, evacuationibus nondum praemissis, vel etiam urina adhuc existente cruda, si valde urgeat morbus, (nil obstante Baglivii assertione (*b*) peremptoria), omnino quamprimum adhiberi debet.

V. Cortex, absque intermissione perfecta, si pulsus infra *centum* in minuto horae descendat, modo absit omnino inflammatio, tuto dari potest: pulsus namque, Auctore Graviss. Hallero (*c*), diebus in-

(*a*) Lond. med. ob. & inquir. vol. 1. vid. N° 26. a Cl. Fothergill conscriptum; nec non vol. 2. p. 265. ubi idem amplius confirmatur.

(*b*) "Si chinam dederis, (ut fataliter plurimi faciunt), ventre adhuc humoribus onusto, tria expectato, aut inflammationem, aut lentam ac diuturnam febrem, aut mortem." De feb. motric. specim. cap. xiii.

(*c*) Disput. med. pract. vol. 6. tab. p. 837.

tercalaribus plerumque ad nonaginta quatuor usque ascendit; quo tempore nihilominus in dando Cortice audacter pergimus.

VI. Quo finem attingamus optatum, duos intra paraxysmos, Corticis ad minimum sex drachmae ingeri debent.

VII. Si diurna intermissio brevior aut obscurior sit nocturna, aegrum per noctem expergefieri, ad justam Corticis quantitatem assumendam, necesse est.

VIII. Cortex, instanti frigore sumptus, febrilem spasmum summopere intendit; tunc temporis igitur minime dandus.

IX. Cortex, pulmonibus admodum infarctis, aut visceribus inflammatis, haud sine gravi periculo (ut opinor) adhiberi potest. Cum bona itaque quorundam Cl. virorum venia (*a*), hisce in casibus ab ejus usu etiam atque etiam dehortor.

X. Si flavescat cutis, aut intumescat abdomen, Cortex, una cum laxativis vel diureticis, est simul propinandus.

XI. Si Cortex alvum nimis petat, opium ei nubere oportet.

(*a*) Geoffroy, M. M. vol. 2. p. 194. 195.—et Cleghorn, obs. on the diseases of Minorca, p. 204.

XII. Cortex, ſub infuſi aut decocti ſpecie, una cum alkalicis vel acidis mineralibus, nequaquam commiſcendus; his enim ſuo menſtruo additis, Cortex fundum illico petit.

XIII. Cortex infantibus quidem teneris, iiſque qui ab ejus uſu interno abhorrent, intus ſubuculae aſſutus, vel ſub lotionis forma enematiſve, ſatis apte adhiberi poteſt.

XIV. Cortex omnino continuandus, donec mobilitas febrilis radicitus fuerit ſublata, fibraeque motrices debitum recuperárint tonum.

Denique—L. B. rogatum volo, ut hocce Tentamen, qualecunque tandem fuerit, ſerena fronte aſpiciat: atque interim ſi ſtylus minus ſit concinnus, ſi minus lucidus ordo, vel ſi quaedam minus recte dicantur, ut ſcriptori condonet juvenili, precor.

T A N T U M.

